









DISSERTATIO, 1621, 1  
De  
COMITIIS IMPERII  
GERMANICI.

Quam

EX CONSENSU

Amplissimæ Facultatis

Iuridicæ,

IN ILLUSTRIS ACADEMIA IVLIA

PRAESIDE

CHRISTOPHORO BEINDOR,

FIO VVanslebiensi Saxone,

Ad diem 4. Apr.

Horis & loco consuetis.

Nobilissimis ac Præstantissimis suis

Collegis.

examinandam subijcit.

PAVLVS FREIENVS Coch-

stetensis, S.



HELMÆSTADI,

Ex Officinâ hæredum IACOBI LVCI.

ANNO clō lō cXXI.

15.





*Reverendissimis, Nobilissimis, Magnificentis-*  
*simisq; viris ac Dominis,*  
Dn. MATTHIAE ab Oypen Decano,  
Dn. IOACHIMO IOANNI GEOR-  
GIO à Schulenburg Seniori, ac cæteris  
Dominis Capitularibus Episcopatus Halber-  
stadenſis, Dominis Mecænatibus ſuis be-  
gniffimis, Patronis colendiſſimis, ac favoribus  
ſummiſſâ ac debitâ animi reverentiâ  
ſuſpiciendis.

Magno cum obſequio,

*Hanc de Comitibus Imperii Germa-*  
*nici diſſertationem offert, de-*  
*dicat, & inſcribit.*

Paulus Frejenus Re-  
ſpondens.







DISSERTATIO  
*De*  
COMITIIS IMPERII  
GERMANICI.

THESIS I.



Vod Republicæ tranquillitatem amantes, & aliorum insultus, & insidias declinare volentes, præter adjuutores, qui auxilio profunt, illis quoq; qui consilium addant maximoperè indigeant, Politici sedulo docent, & ipsa experientia satis superque testatur. Hinc non minus verum, quam optimè notandum est, illud Salustij *in Fragmentis*; qui, In omni vita, inquit, multa audiendo, & legendo ita comperi, omnia regna, civitates vsq; eò prosperum imperium habuisse, dum apud eas vera consilia valuerunt.

II. Et hoc in singulis Rerump. formis facillimè probari potest. Etenim in Democratiâ, cum Platone *6. de Legib.* propterea senatum constitui volumus, vt præcipitantiam & furorem vulgi suâ tarditate contemperet. Aristocratiam ipse senatus constituit. Monarchia deniq; Senatu deò indiget, quod rarò Princeps tantâ polleat prudentiâ, vt aliorum monitis & consilijs planè carere possit. Et posito, Principem quendam tam prudentem esse, vt sine aliorum consilio grauissima quæq; negotia conficere possit, tamen de suâ vnus sententiâ omnia agere magis temerarij, quàm sapientis est.

A 2

3. De-



III. Deindè Principes in hoc toti esse debent, ne in subditorum odium incurrant, quod facile in se excitare possunt, si nemo illorum consilijs Principum intersit: suspicantur enim subditi, se à Principibus contemni. Vndè statim odium nascitur, quod sæpissimè ipsum interitum Principum secum trahit. Sic Iulius Cæsar in senatu trucidatus fuit, quem nunquam consulere solitus erat, *Plutarch. in Iul.*

IV. Imò quis tam rerum humanarum est ignarus, qui nesciat, optima quæq; consilia non rarò pessimum sortiri exitum. Quapropter etiam prudentissimi quiq; Principes optimè consulunt rebus suis, qui super rebus arduis suorum procerum consilium prius expetunt, quàm easdem exequantur, ne illi, si consilium fortè malè cesserit, cum indignatione Principibus succurrant, vel omninò illos deserant. Et profectò quid æquius est, quàm illos, qui non modò facultates omnes, verum etiam ipsam vitam & sanguinem in bella profundunt, priusquam eadem suscipiantur, in consilium adhiberi?

V. Has ob causas procul dubio in Germaniâ, vt de alijs Regnis nihil dicam, Comitiam seu conuentus Procerum & Imperatorum olim instituti, vel potius ex antiquâ Germanorum consuetudine retenti fuere. Qui, licet hisce nostris temporibus, non adeò frequententur, non tamen planè in desuetudinem abiire, sed adhuc celebrantur, quando Reip. necessitas hoc flagitat, & Imperatori & Statibus commodum videtur.

VI. Sunt autem Comitiam, quæ rectissimè senatus Imperij nostri appellantur, Conuentus, quos de Rep. Germanorum decernendi & exequendi potestatem habentes, illius causa instituunt & agunt. Quæ descriptio nobis melior videtur illâ, quæ apud Paurmeisterum *lib. 2. de Iurisdic.*



visdict. c. 2. n. 3. extat & sic habet: Comititia sunt conuentus Principum & Optimarum Imperij reip. causa. Præterquã enim quod speciebus comitiorum non conveniat, egregiã laborat tautologiã, dum comititia conuentus Principum & Optimatum nominat, quasi vero Principes sub Optimatibus non comprehenderentur? Quod si vero Paurmeisterus pro seipso dicat, se ideò voculam Principum posuisse, quod sub Principibus Imperator comprehendatur, nec hãc ratione se satis defendit, quoniam duas voces posuit, quibus Principes continentur, quod tamen tautologicum est.

VII. Bertrami discriptio, quam in *Dissert. de Comititijs* th. 8. posuit, Paurmeisteri quodam modo melior est, attamen in hoc peccat, quod ex parte metaphorica sit. Quamuis enim Imperium ex capite & membris constare, ac corpus esse dicatur, non tamen propterea propriè Comititia voco Conuentum totius corporis Imperij aut partis. Sed ad diuisionem progredior.

IIIX. Comititia Imperij nostri diuiduntur in vniuersalia & Particularia. Particularia sunt, quæ quidam saltem, vniuersalia verò, quæ omnes de Rep. Germanorum decernendi & exequendi potestatem habentes, illius causa instituunt & agunt. De his priori, de illis vero posteriori loco agemus.

IX. Quod in nostrã descriptione diximus, illos Comititia instituere & agere, qui de Rep. Germanorum potestatem decernendi & exequendi habent, hoc satis arguit, Ius comitiorum inter Imperatorem & Status Imperij esse diuisum. Sed, cum hoc ipsum infra commodiùs ostendi possit, imò ex dicendis vltro patebit, ad illa nos accingim⁹.

X. Ante omnia autem inquirendum est, cuius potestas indicendorum Comitiorum competat. Bertram in



*Disfert. de Comit. rh. 17.* quiq; ipsum sequuntur, potestatem cogendi seu indicendi Comitia ceu infallibilem Majestatis sequelam sibi soli Imperatorem reseruasse, seu quod idem est, solum Imperatorem potestatem indicendi & cogendi Comitia habere adseuerant.

XI. Verum enim verò hæc sententia nobis falsa videtur. Nam cui Electorum adprobatione & consensu ad Comitia indicenda opus est, is certè non solus potestatem habet indicendorum & cogendorum Comitiorum. Iam vero Imperatori Electorum adprobatione & consensu ad Comitia indicenda opus esse, tum Capitulatio Caroli V. & ipsius Successorum, tum vero literæ, quibus status ad Comitia conuocantur, (quæ hæc vel similia verba continere solent, dazu vns den wolermeiste Churfürsten ihren consens dem herkommen gemes / vnter ihrer Liebden Handschriffe vnd Siegel gegeben: quibus adstipulantur Maximilianus II. qui comitia Spirensia anno 1570. & Rudolphus II. qui Comitia Augustana anno 1582. auff gut achten vndt vorgehabten Rath ihrer vnd des Reichs Churfürsten à se indicta dicunt) luculenter probant. E. non solus Imperator potestatem habet indicendorum vel cogendorum Comitiorum.

XII. Ex quibus constat, Bertramum & ipsius sequaces sibi ipsis contradicere. Nam si falsum est, quod solus Imperator indicendorum comitiorum potestatem habeat, verum erit vtiq; quod Imperator non habeat potestatem indicendorum Comitiorum, ac proindè non ità habeat potestatem indicendorum Comitiorum, vt præter ipsum nullus potestatem indicendorum Comitiorum habeat.

XIII. Sed, cur nostram sententiã tã operosè probamus;



bamus, cum eandem ipse Bertram ipsiusq; ad seclæ conce-  
dant, & inculcent. Dicunt enim Electorum consensum  
ad Comitiam indicendam tam necessarium esse, vt si impera-  
tor, eo non requisito comitia indicat, sit actus ipso iure  
nullus. Quod si verum, absurdum est statuere, solum Im-  
peratorem habere potestatem iudicendorum Comitio-  
rum, & Imperatori soli, qui semissem saltem huius iuris  
habet, integrum Comitiorum iudicendorum ius adscri-  
bere.

XIV. Conuocat itaq; Imperator adhibito necessariò  
Electorum omnium & singulorum consensu ad Comitiam  
Status Imperij, ijsq; singulis literas mittit, quibus locum, in  
quo Comitiam habenda, & diem, quo inchoanda sunt, illis  
ipsis significat & denuntiat. Cum enim neq; in fixo lo-  
co, neq; certo tempore hodiè Comitiam celebrentur, Impe-  
ratori incumbit, vt illum & hoc determinet. Sic di-  
stinctis temporibus Francofurti, Augustæ, Coloniae, VVor-  
matiae, spiræ, Ratisbonæ &c. Comitiam habita esse, Reces-  
sus Imperij abunde testantur.

XV. Quod de loco diximus, cautè accipiendum est,  
extra fines enim Germaniæ locum Imperatores constitue-  
re nequeunt: Obstat enim iisdem Capitulatio, quâ Con-  
uentus extra fines Imperij agere prohibentur. Qui, quò  
vsq; porrigantur dubium est? Nos, saluo aliorum iudi-  
cio, eò vsq; se extendere Germaniæ fines putamus, quò  
vsq; Iurisdictio Imperij nostri se transfundit, & Germano-  
rum lingua vsurpatur.

XVI. Statuum Imperij Catalogus extat apud Paur-  
meisterum *lib. 2. de Iurisd. c. 1. n. 17.* quo lectorem remitti-  
mus, & tribus verbis iudicamus illos adpellari Status Impe-  
rij, qui (1) albo seu matriculæ Imperij inscripti sunt, (2)  
seu-



feuda, dignitates & regalia ab Imperatore & Imperio immediate recognoscunt, (3) ad Comitata Imperij vocantur & comparent, (4) In dictis Comitibus votum & sessionem habent, & (5) pro rata immediate contribuunt. Gail. 1. obs. 21. Paurmeist. 1. de Iurisd. c. 8.

XVII. Conuocati Imperij status, vel ipsi comparent, vel suos Legatos debite instructos, & mandato sufficienti legitimatos ad Comitata mittunt, qui, ubi ad locum Comitiorum peruenerint, apud Mareschallum hereditarium de Pappenheim & Electorem Moguntinum nomina sua profitentur.

XIIX. Apud Moguntinum quidem ideò, vt certior fiat, quinam Status ipsi ad Comitata venerint, & quinam Legatos suos miserint, vtq; Legati eidem Moguntino instrumentum sui mandati exhibeant, & personas suas habilitent. Apud Mareschallum verò, vt ipsis de commodo diuersorio prospiciat.

XIX. Huic ipsi Mareschallo enim incumbit, vt primò maturius ad locum Comitiorum sese conferat, Statibus presentibus & absentium Legatis diuersoria adsignet, & foribus nomina inscribat. Secundò vt curam annonæ gerat, seu procuret, vt leges annonariæ à se, Electore Saxonæ, vel absentis Legato, & Ciuitate, in quâ Comitata habentur, conficiantur, & ab Imperatore vel absentis Commissario subscribantur & promulgentur. Tertiò, vt diligenter inquirat, an vigiles rectè excubias agant, muri optimè custodiantur, & familia Senatus ita disposita sit, vt, si tale quid acciderit, irruptionibus occurrere, incendia extinguere, & tumultus sopiri possint.

XX. Imò Mareschallus hereditarius in Comitibus Iurisdictionem suam ex Archimareschalli Electoris Saxonæ mandato in Legatos, illorum familiam & reliquos Aduenas:

nas:

*Cuiusmodi interdictum, et opere manifestum interueniente*



nas: aulae Cæsareæ Mareschallus in aulae addictos, & Senatus urbis in suos ciues exercent.

XXI. Postquam diuersorium sunt nacti, & nomina sua Moguntino dederunt Status Imperij præsentibus & absentium Legati, Cæsari aduentanti extra urbem obviam procedunt, ac eundem debitâ reuerentiâ & honore excipiunt. Deindè Legati Dominorum suorum absentiam Cæsari significant, quantum possunt, excusant, ac eosdem Cæsaris favori commendant.

XXII. Præsentibus Electoribus Cæsar diem propositioni constituit, & per Mareschallum hereditarium Statibus præsentibus & absentium Legatis denuntiat. Qui nominato die solemnè prompâ (reliquas ceremonias persequi quid iuuat?) Imperatorem in Curiam comitantur, cui Elector Saxoniae strictum gladium præfert. Eò cum peruentum est, Imperator tabulatum extructum conscendit, & in folio eminentioritæ petis pretiosissimis more Regio magnificentissimè ornato residet, quem Electores loco depressiori hoc ordine circum sident. Nempe à dextris Elector Moguntinus, Rex Bohemiae, si adest, & Palatinus, Treuirensi Cæsari è regione opposito; à sinistris verò Colonjensis, Saxo & Brandenburgicus, Bertram Dissert. de Comitibus thes. 66.

XXIII. Pro Principibus reliquis inferius duo alia subsellia posita & egregiè decorata sunt, in quorum dextro Archiepiscopi, Archiduces Austriae, Magister ordinis Teutonici, Episcopi &c. in sinistro verò reliqui Principes Seculares confident, quibus Comites, Barones, Ciuitatum Legati & Officiales Cæsarei ordine confuso stantes se adiungunt.

XXIV. Facto confessu & turbâ sedatâ quidam Principum, cui hoc à Cæsare commissum est, è sellâ suâ adsurgit,  
B & Sta-



& Statibus præsentibus & absentium Legatis gratias agit nomine Imperatoris, quod tam frequentes adesse voluerint. Hunc Imperator ipse subsequens gravi & succinctâ oratione gratiarum actionem repetit, & Status adhortatur, vt proponendos articulos probè ponderare & expendere, deq; iisdem Reip. necessaria in medium consulere velint.

XXV. Quibus peractis Secretarius Cæsaris propositionem de scripto publicè legit. Quâ auditâ Status præsentibus & absentibus Legati consurgunt, paulisper colloquuntur, & Imperatori respondent per Electorem Moguntinum vel illius Cancellarium, quod cognoverint ex prælectâ propositione, quas ob causas præsentia Comitia Imperator indicere voluerit. Quod igitur à tempore suscepti Imperij tantam curam Reip. impenderit, se illi gratias, quas animo concipere possunt maximas, agere, ac in omnibus, quæ ad salutem & Reip. utilitatem & dignitatem pertinere videbuntur, studia sua & officia, vti debita, ita promptissima deferre.

XXVI. Ut autem de articulis propositis insuper deliberare possint, eâ, quâ par est, reverentiâ petunt, vt iidem ipsis edantur, ac se suaq; omnia Imperatori officiosissime commendant. Pro responsione hac Imperator vicissim gratias Statibus & Legatis agens, gratiam & fauorem suum clementissimè pollicetur, ac illos instigat, vt quàm primum possint, sententiam suam proferant.

XXVII. His ita peractis à folio suo surgens Imperator, eâdem, quâ ingressus est, pompâ ad Palatium suum reducit, & Status & Legati quisq; in sua diversoria discedunt. Postero vel sequentibus diebus Statibus & Legatis in locum conuentui generali designatum ab Electore Moguntino conuocatis, capita deliberationis traduntur; Qui prius  
despi-



despiciunt, quam deliberationem inſtituunt, quem ordi-  
nem ſeu proceſſum in conſultando obſeruare expediat.

XXIIX. Et quamvis Status & Legati non facile rece-  
dant ab ordine, quem Imperator in proponendo ſeruauit,  
tamen ſi cauſæ graues & prægnantes ſuadent, vt ab ipſo re-  
cedatur, optimo iure hoc fieri poſſe putamus. Sic in Co-  
mitijs Auğuſtanis anno 1530. Iohannes Elector Saxonie &  
reliqui Proteſtantes efflagitarunt, vt cauſa religionis, quæ  
grauior & ponderoſior erat illâ, quæ de perpetuo appa-  
tu bellico contra Turcam agebat, prius definireretur, etſi  
hæc priori, illa vero poſteriori loco propoſita fuiſſet, quod  
itâ factum eſt.

XXIX. Poſtquam de proceſſu in conſultatione obſer-  
uando conuenere, & iam ad ſuffragia ferenda reuerſi ſunt  
Status & Legati in tres claſſes ſeu curias diſtribuuntur,  
nempe in Claſſem Electorum, Principum, & Ciuitatum  
Imperialium.

XXX. In Claſſe ſeu curiâ Electorum Moguntinus in  
medio ſeſſionem occupat, ad cuius dextrum latus Treui-  
renſis & Palatinus, ad ſiniſtrum vero Coloniensis, Saxo &  
Brandenburgicus ſedent, qui ad conſultationem proceden-  
tes ſinguli ſeu viritim ſuffragia ferunt. Et primò quidem  
Treuirenſis ſententiam ſuam profert, ſecundò Coloniensis,  
tertiò Palatinus, quartò Saxo, quintò Brandenburgicus,  
ſextò Moguntinus, qui tanquam huius Collegij Decanus  
reliquorum vota prius colligit, & poſtea ſuum votum to-  
ti Collegio, vel vt hodiè moris eſt, requirenti Saxoni ex-  
ponit.

XXXI. Ab hoc votorum dandorum ordine Electori-  
bus in A. B. c. 4. præſcripto, etiamnum hodiè illi non rece-  
dunt, vt merito quis illorum oſcitantiam, vt molliffimè di-  
cã, arguere poſſit, qui friuolis quibuſdam rationibus moti



contra apertam veritatem contrarium adserere non verentur.

XXXII. Rex Bohemiæ, licet Elector sit, cum Status Imperij non sit, regulariter ad Comitata non vocatur, neq; votum & sessionem in illis habet. Causa procul dubio hæc est, quod, cum proprias Regni sui leges habeat, & verò in Comitibus de negotijs Germaniæ plerumq; leges ferantur, illæ eundem non concernant, ac propterea frustra ad Comitata vocaretur, iisdemq; interesset. Si autem sponte suâ Comitibus interest, quod aliquoties factum, historiæ testantur, istum locum occupat, quem supra eidem adsignauimus, verum de ipsius voto compertum nihil habemus,

XXXIII. Sed posset quispiam nobis objicere, Regem Bohemiæ utiq; Statum Imperij esse, cum ipsius Regnum sit feudum Imperij. *Arum. ad A.B. Discurs. 4. th. 18.* & inter Status à Paurmeistero 2. *de Iurisd. c. 1. n. 17.* collocetur. Verum non sequitur, Rex Bohemiæ feudum ab Imperio recognoscit, E. est Status Imperij. Plura enim requiruntur, quæ supra th. 16. posuimus: & si hoc procederet, etiam Nobiles in Sueviâ, Franciâ & tractu Rheni habitantes Status Imperij essent, quod falsum est. Quamuis itaq; Rex Bohemiæ sit nobile Imperij membrum, nihilominus tamen neq; Status Imperij, neq; ejusdem legibus subiectus est, *N. in Nusspurg/ de anno 1551, §. Ferner haben wir/ & seq.*

XXXIV. Secunda Classis seu Curia continet Principes tam Ecclesiasticos, quam seculares, Prælatos, Abbates & c. Comites & Barones. Ecclesiastici ut pote, quibus primæ sedendi partes debentur, latus dextrum; Seculares vero, quibus secundæ, sinistrum occupant.

XXXV. Suffragia in hæc Classe diuersè feruntur. Nam Principes Ecclesiastici omnes singularum sententiarum

di-



dicendarū jus habent. Quibus ex veteri Prælatorum ordinē hodiè accedunt Magistri Ordinum Equitum Teutonico- rum, & Diuo Iohanni sacrorum, Abbas Fuldenſis, Hirs- feldenſis, Campidonenſis, Murbacenſis, Corbeienſis, Prumenſis, Stabulenſis, Præpoſiti Elbangenſis & Berch- telſgadenſis.

XXXVI. Principum Politicorum familiæ quædam v- num, quædam reſpectu diuerſarum linearum, duo, tria vel quatuor vota habent, ſicuti Receſſuum ſubſcriptiones te- ſtantur. Prælati, Comites & Barones curiatim ſententias dicunt, hoc discrimine, vt Prælatorum curia vnus, Comi- tum verò & Baronum in tribus VVetteranicam & Sueui- cam diſſecta, duorum votorum ferendorum poteſtatem habeat. Propoſitio & votorum directio in hâc Claſſe Auſtriaco & Archiepiſcopo Saliburgenſi competit, qui alternatim iſto munere funguntur.

XXXVII. Tertia Claſſis eſt Ciuitatum Imperialium, quæ, licet viritim in ſuo conſeſſu ſententiam dicendi po- teſtatem habeant, aliàs duo ſaltem ſuffragia ferunt. Non enim, vt quidam putant, conſultandi ſolùm, verum etiam ſuffragandi jus Ciuitates Imperiales habent. Propterea enim æquè ac reliqui Status ad Comitiam vocantur ſub hâc formulâ, vnd neben allen andern Ständen beſſen hane delen Rahtſchlagen vnd ſchlieſſen: In Comitij in com- muni conclauſi relinquuntur, cum extranei & peregrini exire teneantur & iubeantur: Imperatoris propoſitiones audiunt: Electores & Principes ante omnia ſuas ſententias Ciuitatibus aperiant: ac deniq; hâc formula, vnd wir Eburfürſten / Fürſten / Prælaten, Graffen vnd Herrn vnd des heiligen Reich Frey vnd Reichſtädte / Botſchafft vnd Gewalts habere hernach benante bekennen öſſend- lich mit dieſem Abſchiede / das alle vnd jede puncten vnd



Articeln / mit vnseren guten wissen / willen vnd Rath  
fürgenommen vnd beschlossen seindt / Recessibus inseri-  
tur, vt constet, non duo in Comitijs, scilicet Electorum &  
Principum, sed tertium quoq; nempè Ciuitatum consili-  
um esse.

XXXIIX. Hanc verò ob causam dicta diuisio in tres  
Classes facta videtur, quod non viritim sed curiatim suf-  
fragia ferantur. Si itaq; duæ Curiaë vel quarumlibet ma-  
ior pars conspirent, à parte Statuum res confecta est, &  
consentientium Statuum placitum tanquam comune con-  
sultum Imperatori perselectos refertur, cui si idem arri-  
det, fit Decretum; Sin minus tam diu adductis rationibus  
replicant, duplicant, quadruplicant, donec altera pars in  
alterius sententiam spontè concedat, & tunc quod in  
commune placuit, constitutionis comitalis & legis habet  
vigorem.

XXXIX. Sin vero Imperator & Status Imperij, vel ma-  
ior illorum pars penitus conuenire nequeunt, nihil actum  
est. Nam negotium omne ità in liberâ & spontaneâ con-  
uentione positum est, vt nec Imperator ex plenitudine, vt  
loquuntur, potestatis, nec Status illo dissentiente quic-  
quam statuere possint.

XL. Ex quibus cognoscere licet, jus Comitiorum in-  
ter Imperatorem & Status Imperij esse diuisum, & ab Im-  
peratore & Statibus tanquam duobus inter se conueni-  
entibus decreta fieri. Habet itaq; Imperator in negotijs  
ad Comitia pertinentibus dimidiam partem aristocratici  
imperij solus, dimidiam verò status Imperij, quod etiam  
Vvehnerus *in pract. obs. in verb. Reichstag & Paurm. 2. de  
Iurisdict. 2. n. 20.* senserunt, dum semissem Comitiorum Im-  
peratori & semissem Statibus tribuerunt. Sed ad res seu  
nego-



negotia, quorum causa Comiticia celebrari solent, progredimur.

XLI. Sunt autem omnia, circa quæ politica potestas versatur, nempe causæ ferendarum legum, belli gerendi, foederum percutiendorum, soluendorum, injungendorum tributorum, iudiciorum exercendorum &c. Ordinariè tamen in Comitijis consultatur de firmandâ & constituendâ pace & tranquillitate publicâ, tam in ciuilibus, quàm Ecclesiasticis & religionis negotijs: de Legibus & Ordinatione iudicij Cameralis: de Impositione collectarum de moderatione indictarum pensitationum: de Monetis: de Matriculæ Imperialis redintegratione, ac auulsis ab imperio prouincijs & Ordinibus recuperandis. Paur. d. loc. n. 29. & 30. Et tantum de Comitijis vniuersalibus.

XLII. Particularia Comiticia, quid sint, supra diximus: jam illorum species percurremus. Sunt autem primò Comiticia Deputatorum, quæ anno 1555. in Comit. Augustanis Cæsaris & Ordinum consensu hanc ob causam instituta sunt, vt negotia, quæ in vniuersalibus Comitijis explicari non possunt, ab Imperatore vel ipsius Commissario & Ordinibus delectis in illis expediantur.

XLII. Deputati sunt sequentes: Legatus Cæsareus, Electores, Bohemo excepto: ex Principibus Archidux Austriae Herbipolensis & Monasteriensis Episcopi, Dux Bavariae quibus postea adjuncti Dux Iuliacensis & Landgrauus Hassiæ, ac in Comitijis Spirensibus anno 1570. Episcopus Constantiensis, Dux Burgundiæ, Dux Brunsvicensis & Pomeraniæ. R. N. de anno 1555. 1559. & 1570. ex Prælatibus Abbas Veingartensis & Ochsenhusanus: ex Comitibus & Baronum ordine Comes Fürstenbergensis: ex Ciuitatibus Noriberga & Colonia.

XLIV. Hi, inquam, sunt Deputati, quos Elector Moguntin-



guntinus Francofurtum ad Moenum conuocat, si tam gra-  
ues motus in Imperio ortos esse Capitanei aliquot Circu-  
lorum ipsi significauerint, quibus compescendis vnus at-  
que alter Circulus non sufficiat, sed vniuersorum Circu-  
lorum auxilium necessarium sit.

XLV. Quemadmodum verò in vniuersalibus Comi-  
tijijs, ità etiam in hisce Deputati & illorum Legati apud  
Moguntinum nomina sua profitentur. Commissarius  
Cæsareus verò Deputatis in Curiam dictæ Ciuitatis Fran-  
cofurtensis conuocatis capita deliberationis proponit, &  
describenda exhibet. Quo facto in duas Curias Deputa-  
ti distribuuntur, in quibus viritim sententias dicunt. Vt  
autem in vniuersum quid decernatur, necesse est, vt istæ  
duæ Curiaë inter se consentiant, & cum ipsis Cæsareus  
Commissarius: illorum enim & huius consensus hic ne-  
cessarius est, vt nec vna Curia & Commissarius Cæsareus,  
nec duæ Curiaë sine dicto Commissario quicquam conclu-  
dere & definire possint. *R. A. in Aushurg de anno 1555. f.*  
*vnd im Sal/ vers. Als den sollen. Paurm. d. loco, n. 120.*

XLVI. Quod verò ità à Deputatis & Commissario  
Cæsareo decernitur, easdem vires habet cum Recessibus  
vniuersalium Comitiorum: Nam illis & huic data est po-  
testas ab omnibus Imperij Statibus & Imperatore plenissi-  
ma loco totius Senatus Imperialis de Rep. Germanorum  
decernendi & exequendi. *R. A. de anno 1594. f. was vnd*  
*soviel aber nach diesem.*

XLVII. Secundò Comitia Electorum, his enim per  
A. B. concessum est non solum tunc Comitia habere, cum  
nouus Imperator eligendus est, verum etiam singulis an-  
nis, si salus & incolumitas Imperij hoc exigat & efflagitet:  
in illis, vt dictum, Imperator vel Rex Romanorum eligi-  
tur, ideòq; vulgò *wahltag*, ab *Onuphrio Panuino verò lib. 2.*  
*de Co-*



de Comit. c. 3. & 4. Imperatoria vocantur, exemplo scilicet veterum, qui ea, quibus Consules creabantur, Consularia, quibus Prætores & Censores, Prætoria & Censoria appellabant: in his verò ardua & grauissima quæq; Imperij negotia de alienationibus & oppignorationibus bonorum Dominialium imperij, de pace & bello, de vestigalibus, de tuendâ Collegij huius authoritate, & defendendis ditionibus, Regalibus & juribus Electorum contra omnem vim, de amoliendis seditionibus, conspirationibus, ligis, contra supremum orbis Christiani caput, de Cæsaris honore sublimi propugnando, de impediendâ Imperij diminutione: Summatim de causis ad decus, honorem, commodum & incrementum Imperij spectantibus tractatur & consultatur, Bertram d. Dissert. th. 11.

XLIIIX. Tertiò Comiticia Circulorum, quæ ordinariè singulis annis semel vel necessitate vrgente sæpius celebrantur. Deliberatur verò in illis de contributionibus, Monetis, Præsentatione Assessorum, & executionibus contra contumaces faciendis.

XLIX. Horum Circulorum olim sex tantum fuerunt, nempè Francicus, Bavaricus, Sueuicus, Rhenanus, VVestphalico-Belgicus vsq; ad Mosam, & Saxonicus, *N. A. von Ordnung des Regiments*/ de anno 1500: quibus postea quatuor additi & Circulus Rhenanus & Saxonicus diuisi sunt, *N. A. zu Trier vnd Cöln*/ de anno 1512. *s. darauff bas ben wir*/ Carolus V. autem in Recessu Noribergensi de anno 1522. hanc Circulorum distributionem non solum repetijt, verum etiam quos Status vnusquisq; Circulus complectatur, determinauit.

L. Qui plura de Comitijs vniuersalibus & Particularibus cognoscere volet, adeat Paurmeisterum sæpius

C

alle-



allegato loco, & Bertram in Dissert. de Comitibus. Nos enim  
propter temporis angustiam pluribus hanc materiam per-  
sequi non possumus.

quibus Praetores & Consules Praetores & Consules appel-  
labant: in his vero arboribus & statuibus quibusdam  
gottis & statuibus quibusdam

Domus Collegii huius auctoritate & defendenda his ditioni-  
bus, Regalibus & iuribus contra omnem vim

*Præstantissimo*

# DN. RESPONDENTI

amico suo integerrimo.

**D**electet Scythicos alium furor ire  
per hostes,

Sæuaq; robustâ bella cedere ma-  
nu:

Delectet multos fragiles corradere nummos

Sacraq; diuitias amplificare fames.

Selectos alius certet monstrare colores

*Pænorum Lybia purpureumq; Tyri.*

Te delectat amor Themidos, te *Paule* iuuatq;

*Pallas* inoffensi vertice nata *Iouis*

Materiamq; uiris tractas præstantibus aptam

Liberiore tuo nomine digna facis.

Nam tibi iuridicæ rectrix *Astrea* ceterum

Et *Suada* ad juris culmina monstrat iter.

Ergo,



10.  
Ergo, quo feruor rapuit te perge labores  
Peruigili *Themidos* mente subire sacrae.  
Sic olim patriæ decus & prælustre tuorum  
Lumen eris, tituli magnus honore tui.  
Mentem-animi temp<sup>9</sup> declaret & exitu acta,  
Hæc patriæ atq; tui colligo vota patris.

*Amicitia ergo  
fac.*

M. Marcus Bucholtz

F I N I S.





...  
...  
...  
...  
...

...

...

...

...  
...  
...





ULB Halle  
005 888 999

3



VDA7











DISSERTATIO, 1621, 10  
*De*  
COMITIIS IMPERII  
GERMANICI.

*Quam*  
EX CONSENSU  
Amplissimæ Facultatis  
Iuridicæ,  
IN ILLUSTRACADEMIA IVLIA  
PRAESIDE  
CHRISTOPHORO BEINDOR,  
FIO VVanslebiensi Saxone,

*Ad diem 4. Apr.*  
Horis & loco consuetis.  
Nobilissimis ac Præstantissimis suis  
Collegis.

*examinandam subijcit.*  
PAVLVS FREIENVS Coch-  
stetensis, S.



HELMÆSTADI,  
Ex Officinâ hæredum IACOBI LVCI.

ANNO MDLXXI.

15.

